IOSEPHI MASCARDI
IVRISCON. SARZANENSIS
PROTHON. APOSTOLICI,

CONCLVSIONES OMNIVM PROBATIONVM,
ac quæſtionum, quæ in vtroque Foro quotidie verſantur, Iudicibus, Aduocatis, Cauſidicis, omnibus denique Iuris Pontificij Cæſareiq́ profeſſoribus vtiles, practicabiles, ac neceſſariæ.

QVIBVS CANONICAE, CIVILES, FEVDALES, Criminales, cæteræq; materiæ continentur: Per Ampliationes (vt dicitur) Limitationes, Intelligentiaſq; Alphabetico ordine abundè digeſtæ:

*Magis receptis Doctorum opinionibus, vbique hoc aſteriſco * notatis.*

Summarijs, ac Indice rerum, ſententiarumque magis ſelectarum locupletiſsimo in calce totius operis adiecto, ornatæ.

Exuibus, vt olim erant, in duo volumina, ementium vtilitatis, & commoditatis gratia, redactæ; & hac omnium nouiſſima Taurinenſi editione, innumeris in locis ſuo nitori reſtitutæ, ſummaq; diligencia erroribus expurgatæ, & correctæ.

Volumen Primum.

AVGVSTÆ TAVRINORVM,

Apud Io. Dominicum Tarinum.

M. D. XCVII.

BENEVOLO LECTORI
Typographus.

AVreum opus, ſeu potius theſaurum probationum Ioſephi Maſcardi Iuriſconſulti, & doctiſsimi, & diligentiſsimi, in tria volumina digeſtum, multa ferebat incommoda: nam pręter quam quod moles maior erat, & vix ſtatim ad manus veniebat volumen illud in quo res perquiſita continebatur; etiam vnicuiq; volumini ſuus index applicatus efficiebat, vt eadem ſæpiſsimè materia in vnoquoq; volumine recondita, cogeret occupatum alioqui, & feſtinantem lectorem, modo in hoc modo in illo indice, magno cum tedio quæritare quòd vellet. quibus incommodis vt nos ſubueniremus, qui ſcimus quantum alioqui plus ſatis laborioſa ſint legalis diſciplinæ ſtudia, & aſsidua cura inuigilamus, vt commodiora, & eo etiam grata magis reddantur, ad duas partes totum opus redegimus: & ex tribus vnicum indicem nulla parte diminutum fecimus: vt vniuſcuiuſque dictionis tota ſtatim quęrenti pateat continentia. Atque etiam præter exiguos quoſdam errores emendatos, numeros quoque Concluſionum correximus, qui ab initio, etiam quando primum ab autoris manu prodierunt, ita turpiter fuit deprauatus, vt pro 151. eſſet 152. & pro 448. eſſet 447. & pro 1122. eſſet 1117. atque deinceps eodem filo ſubſequentes, eſſent ſub falſis numeris conſtitutæ. quod malum, vt ingenuè fateamur, nos minime alias cognouimus, cum impreſsionem Venetam priorem ſequeremur. effecimusq; hac noſtra diligentia, vt minori ſumptu, breuiori tempore, commodiori vſu, & certiori inuentione frui, poſthac vtiliſsimis Maſcardi vigilijs poſsis, & Taurinenſi Typographiæ ſub Leonis ſigno fęlicem progreſsum deſiderare. Vt viri grauiſsimi, qui illa vtuntur tibi omnia pro votis augurantur.

IOSEPHI MASCARDI IVRISCONS. SARZANENSIS,

Prothonotarij Apoſtolici,

PROBATIONVM OMNIVM, QVÆ in vtroque foro quotidie verſantur,

VOLVMEN PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Pythagoras laudatus.*
2 *Extra viam publicam non deflectendum.*
Vſu trita non ſunt reformidanda, & illud, quod commune ſit, ſequendum eſt, & à conſuetudine communis ſenſus non abhorrendum.
3 *In negocijs pertractandis aliqua prius præmittenda ſunt: vt res, de qua agitur, cognita facilior reddatur.*
4 *Probationum materia nulla fœcundior, & vberior in vniuerſo legum campo.*
5 *Præfationes ab omnibus Iuriſconſultis fieri ſolent.*
6 *Præfationes ad lectionem propoſitæ materiæ libentius perducunt, & euidentiorem præſtant intellectum.*
7 *Dilucidius per diuiſionem illud apparet, quod enodandum proponitur, & quæ diſtinguuntur facilius percipi ſolent.*
8 *Diuiſio & compoſitio in his, quæ pertractantur, plurimum valent, & qui rectè diuiſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare.*
9 *Partitio legentis animum incitat, intelligentis mentem præparat, memoriamque artificioſè reformat.*
10 *Diuiſio vberiorem culturam reddit.*
11 *Obſcuritas vnde oriatur. Obſcuritatis, & confuſionis detrimenta. ibid.*
12 *Diuiſiones hic præmittuntur, vt probationum materia facilius percipi, & declarari poſſit.*

PROOEMIVM.

1 PYTAGORAS ille Samius, † quem Valerius Max. perfectiſſimum ſapientiæ opus lib. 8. c. 7. appellare conſueuerat; cui rerum abditarum pretium, & excellens iudicium ſæmus aureum feciſſe, Cœlius Calcagninus Epiſtolarum quæſtionum lib. 3. Epiſt. 8. teſtatus eſt, per multa ad hominum mores formandos ſymbola, priſcis illis oraculorum inſtar celebrata, poſteris reliquit. Quorũ primas ſibi vendicare partes illud, nõ vana opinio-
2 ne ducor: extra viam publicam ne deflectas: † etenim vſu trita nõ eſſe reformidanda præcipit Quintil. lib. 8. c. 2. illud quod commune ſit, ſequendum idem docuit Fabius lib. 10. cap. 2. Vnde factũ eſt, vt Romani vir ille eloquij facile Cicero princeps, nõ immerito. in 1. de Orat. lib. in Prologo tradiderit, à conſuetudine communis ſenſus nõ abhorrendũ. Quapropter cum Iuriſcõſul-
3 torũ communi ſententia receptum ſit: † vt in tradendis, quæ ad ius tũ Cæſareum, tum Pontificiũ ſpectant, argumẽtis, nonnulla prius præfanda ſint quo res cognita ſit facilior. Nos etiam, qui
4 probationum materiam ampliſſimam, † qua nulla fecundior, & vberior in vniuerſo legum immenſo campo inueniri poteſt, explicandã ſumpſimus, aliqua præmittenda ſumus arbitrati, vt noſtrorũ veſtigijs inſiſtentes, res, qua de agitur, explicatius pateat. Namque dici nunquã poſſet, quantopere præfationes illæ ab
5 omnibus noſtris Iuriſconſultis, † & à Caio præſertim, in l. 1. ff. de orig. iur. fieri ſoleant. Si in foro, Caius inquit, cauſas dicentibus, nefas (vt ita dixerim) videtur eſſe, nulla præfatione facta iudici rem exponere, quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit, omiſſis initijs, atq; origine nõ repetita, atq; illotis (vt ita dixerim) manibus, protinus materiam interpretationis tractare? Huius rei nõ fuit immemor Vlpianus in l. proponebat. verſ. quibus ita præmiſſis. ff. de caſtren. pecul. Nec immerito certè ab illis Iuriſconſultis tantopere præfationibus tribuitur. Nam ipſæ præfationes, vt eleganter voluit idem Caius in
6 d. l. 1. † ad lectionem propoſitæ materiæ libentius perducunt. & eò perductis euidentiorem præſtant intellectũ. Nec id ſolũ p præfationes, ſed per diuiſionem etiam conſequi facile poterimus. Dilucidius enim per hanc diuiſionem apparere illud, qđ enodandũ nobis ꝓpoſuimus, prudentiſſimè ſcriunt Roman. Pon-
7 tif. in c. ſup literis. ext. de reſcrip. † & quę diſtinguuntur facilius percipi ſolere, nõ latuit Paulum, nec Accurſium in l. 1. ff. de dol. excep. nec Impe. prętereã in §. ſed nõ vſque. Inſtit. de legat. Huc ſpectauit Fabius, cũ de memoria verba faciens lib. 11. c. 2. protulit: In his, quę ſcripſimus, complectendis, & in his, quę cogita-
8 mus, continendis, diuiſionem, † & compoſitionem plurimũ valere. Nã, qui rectè diuiſerit, vt idem inquit, nunquã poterit in rerũ ordine errare. Certa enim ſunt nõ ſolũ in digerendis quæſtionibus, ſed etiã in exequendis, ſi modo rectè dicimus, prima, ac ſecunda, & deinceps cohęretq; omnis rerũ copulatio, vt ei nihil, neq; ſubtrahi ſine manifeſto intellectu, neq; inſeri poſſit. Vnde Q. Mutiũ Sceuolã accepimus in luſu duodecim ſcruporũ, cùm prior calculũ promouiſſet, eſſetq; victus, cũ rus tẽdit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatum rediſſe ad eũ, quo cũ luſerat: eumq; ita factũ eſſe, confeſſum fuiſſe. Ad hæc circa diuiſionẽ nullus, nec modus, nec finis eſſe põt, vt idẽ dixit Quint. lib. 10. c. 7. Quinimo Accurſ. cuius auctoritatem libenter amplector, dicere ſolebat, in §. igitur, in verb. eaſdem. in
9 proœ. Inſtit. † Partitionẽ legentis animũ incitare, intelligentis mentẽ præparare, & memoriã artificioſè reformare. Diuiſionis & emolumentũ ſentiens Paulus in l. Caius Seius. §. Titius. ff. de
10 leg. 2. ſapienter reſpondit, † diuiſionem vberiorẽ culturã reddere. Rurſus verò non aliundè obſcuritas oritur, niſi ex pertur-
11 bata, † & confuſa traditione. vt canit Imp. in § alio. Inſt. quibus mod. teſta. infir. & in §. ſed in primis. Inſt. de lega. Nec quamquã fuſis omnibus mẽbris, vt Quint. lib. 7. in præfat. aiebat, ſtatua ſit, niſi collocetur, & ſi q̃ in corporibus noſtris, aliorũve animaliũ partem permutes, atq; transferas; licet habeat eadẽ oĩa, prodigium ſit tñ, & artus etiã leuiter loco moti perdunt quo viguerunt vſum, & turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Vt nec toto, q fertur, errare cœlo videantur illi, q ipſam rerũ naturã ſtare ordine putant, quo confuſo peritura ſint omnia. Ex iſtis iam ſatis ſuperque patere arbitror, q vtiles, ac fructuoſæ, & neceſſariæ ſint præfationes, & operis diuiſio. Quapropter in præſentia meũ penſum abſoluiſſe putabo, ſi nonnulla noſtrorũ mo-
12 re præfabor, & diuiſiones præmittã, † quo totius operis noſtri probationum materies facilius percipi, & declarari poſſit.

in antiq.lect.num.8.C.de proba.& in l.non ſolum.§.ſed vt probari poſſit.de non.ope.nunc.vbi teſtatur, ſe alias reſpondiſſe ad quæſtionem cuiuſdam ſtatuti, quo cauetur, ne in quibuſdam pratis homines poſſent paſtuari, intra terminos deſignatos, & contra quendam accuſatum ſolicitantum deductum, & probatũ ſimpliciter, illum in dictis pratis animalia paniſſe, ob idque condemnationem ſequi non potuiſſe reſpondit, per gl. in d. §. ſed vt probari poſſit. & per l.de pupillo.§.qui nunciat.eo.de no. oper. nunc.ad quod etiam allegat tex.in l.1.in fi.cum l.ſeq. ff.de incẽ. ruin. naufrag.ex quibus infert etiam ad quæſtionem de tempore, quando enim non ſufficit factum eſſe qualibet parte temporis, debet probari factum tempore competenti, vel prohibito, tex.in d.l.matrem.vbi opin. Bar. & Bal.C.de proba.& quæ congerit in d. §.ſed vt probari poſſit.

1 Locus † quando, & quomodo probetur tutus, & non tutus, vide ſupra in concluſione, acceſſus.

CONCLVSIO DCCCCXCVIII.

ARGVMENTVM.

Luſorem à teſtimonio dicendo repelli, & quæ probanda ſint ab eo, qui velit luſorem à teſtimonio repellere.

SVMMARIVM.

1 *Luſores à teſtimonio repelluntur præſertim in criminalibus.*
2 *Luſor dicitur criminoſus.*
3 *Luſor dicitur turpem vitam agere.*
4 *Ex ludo inſurgit præſumptio dilapidationis bonorum.*
5 *Luſor præſumitur ſemper blaſphemare.*
6 *Luſor vt quis ad hoc probetur, vt a teſtimonio repellatur, non ſufficit probare, quod aliquando luſerit, ſed requiritur, quod ſit conſuetus, deinde quod fuerit luſor tempore depoſitionis.*
7 *Luſorem luſiſſe cum taxillis falſis probatur per barros, & luſores, tanquam peritiam artis habentes.*

1 Luſores a teſtimonio † repelli, maxime in criminalibus ſcriptum reliquit Lãfr.de Oria.in c.quoniam contra.in ver.teſtium.col.46.in fi.de prob.& Alex.in conſ. 52.col.3.ver.ſed conſtat.vol.5.Dec.in conſi.163.nu.19.qui loquitur etiam in cauſa matrimoniali.& Crau.in conſi.169.nu.5. & Nep.de Mont.Alb.in ſuo trac.de teſtib.nu.18.& 19.& Gram ma.in conſi.35.nu.59.

2 Et nimirum, quia luſor † dicitur criminoſus. vt dicit Barto. in
3 proœ.Digeſtorum.& ludendo dicitur † turpem vitam agere, ſecundum Hoſt. in ſum.titu.de exceſſu prælat. & ex ludo inſurgit
4 † præſumptio dilapidationis bonorum. vt per Bal.in auth. quod locum.col.2.ver.decimo quæritur.C.de colla. bono.& Bertr.in conſi.222.nu.3.vol.3.& Menoc.de arbi.iudi.caſ.399.in princ.& diximus ſupra in concluſ.Dilapidatio. & præſumitur etiam ſem
5 per blaſphemare.† vt per Pet.Ger.in ſing.83.incipienti.de quo diximus etiam ſupra.in concluſ.Blaſphemus.

Sed ad duo aduerte, cum vis probare aliquem eſſe luſorem,
6 † ad effectum illum a teſtimonio repellendi. Primo, quod non ſufficit probare, quod aliquando luſerit, ſed requiritur, quod ſit conſuetus. Secundo quod fuerit luſor tempore depoſitionis, alias non repelleretur. optime Dec.in alleg.conſi.163.num. 19.cum ſequen.ſicuti etiam ſi alioqui eſſet bonæ vitæ, & famæ. vt ibidem Dec.

Limita tamen hanc ipſam concluſionem minime ſibi vendicare locum quando eſſet probandus ludus cum taxillis falſis,
7 † quia tunc admittitur probatio etiam per barros, & luſores, tanquam peritiam artis habentes. ita Salicet.in l.ea quidem. C.de accuſat.

FINIS.

AVGVSTÆ TAVRINORVM,
M. D. XCVII.